BOSCH — 1562

990

Med. 2/6

50912

DE PESTE,

NEC NON QVO PACTO AB ea præſeruari quis poſsit atq; liberari:

Authore Ioanne Lonæo Boſcio, Medicinæ Doctore ac Profeſſore in celeberrima Vniuerſitate Ingolſtadienſi Ordinario.

1.6952 4/6

Quicquid ſcripſerunt de ſæua peſte Vetuſti
Atq; Neoterici mille uoluminibus,
Vno, quem ſpectas hic, tradidit omne libello
Boſcius, ingenio magnus & arte potens.

Theodorus Hylæus.

IMPRESSVM INGOLSTADII, per Alexandrum & Samuelem Vueiſſenhornios.

M. D. LXII.

ABGEGEBEN
VON DER
K. UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK MÜNCHEN

MAGNIFICIS VIRIS DOMINO MARTItino Eiſengrino Rectori, Domino Friderico Staphylo Superintendenti, nec non clariſsimo viro, Domino Ioanni Agricolæ Camerario Doctoribus excellentiſſimis: ampliſsimoq́; ſenatui reliquo celeberrimę Vniuerſitatis Ingolſtadienſis ſalutarem fœlicitatem optat Ioannes Boſcius Medicinæ Doctor, &c.

INter omnes quæ hac tempeſtate graſſantur hæreſes, non minima eſt illorum qui ex ſacris literis perperam intellectis opinantur, unicuiq; præſcriptam eſſe certam uiuendi ac moriendi metam, eamq́; neminem poſſe aut præuenire aut ſuperare: ac proinde in peſtilitate ad occurrendum mortiferæ contagioni, Magiſtratuum ordi-

nationes, Medicorumq; conſilium & opem nihil prodeſſe. Quam ſanè opinionem erroneam non ſolum abſurdiſſimam, ſed impiam quoq;, cum humanæ tum diuinæ arguunt in homicidia & ueneficia ſanctiones. Hoc forſitan eis perceptu difficilius eſt. Illud ſaltem nobis dicant miſerrimi tales Mataeotheologi, ſi uita extendi nequeat uel abrũpi, cur in Pſalmis orat Regius propheta Dauid, ne reuocetur in medio dierum ſuorum? Legerunt ne unquam apud Hieremiam & alibi, mortis præmaturæ cauſam aliquando eſſe peccata? Nunquam legerunt in Exodo honorantibus patrem et matrem à Deo uitam longæuam promitti? & quidem (ne mentionem fieri de æterna uita cuiquã ſubeat cogitatio) ſuper terram? Quid opus eſt multa uerboſitate? Luculentiſsimum extat Regũ quarti libri, capite uiceſimo ſecundo, nec nõ Eſa: ca. triceſimo octauo teſtimoniũ, in arbitrio hominis Deũ poſuiſſe uitæ breuitatem ac longitudinem. Ibi enim diſertè commemoratur, quo nam pacto Ezechias Rex ſua lamentabili apud Deum ſolicitatione, quindecim annorum uitæ ſuæ impetrauerit a Deo prorogationem: uſus tamen etiam poſtea quam Deus ipſi pollicitus eſſet prorogationem uitæ, qua conualeſceret Medicina. Eſaias ſiquidem lethali eius hulceri quoddam ex ficis emplaſtrũ impoſuit. Hinc quoq; apparet perſpicuè Medicinam ad ſartam tectam ſeruandam uitam eſſe neceſſariam: quod etiam ex Pſalmo centeſimo quadrageſimo ſexto,

nec

nec non capite tricesimo octauo Eccleſiaſtici, ac nono capite D. Matthæi Euangeliſtæ confirmare modo ſuperſedemus. Quæ quum ita ſint uiri præſtantiſsimi, conſultiſsimè atq; piè nuper deliberaſtis, & ſtatuiſtis accuratiſsimam quandam, ut peſtilentiæ obuiam iretur Politiam, nec Medicorum ſuffragia contempſiſtis: uerum aliquod etiam Medicum peſtilenti hoc tempore commodum ab ipſis expetiuiſtis ſcriptum. Edidi ergo Magnifici Domini Rectoris hortatu opuſculum iſtud meum an te menſes tres Medicinæ ſtudioſis a me dictatum ac explicatum. Ad hoc me commouerunt non parum quæ apud Thucydidem cæterosq; Hiſtoriographos de peſtis tyrannide leguntur exempla horribiliſsima. Commouit etiam Hippocratis ac Empedoclis temporibus peſtilentibus erga ſuos atq; omnes homines ſtudium et amor. Cœlum ac elementa omnia diriſsimam portendunt, quam nonnulla circumiacentia loca iam experiuntur peſtilentiam. Hoſtis eiuſmodi crudelis iam hiſce imminet mœnibus. Iam proximus ardet Vcalegon. Nimis eſt ſecurus qui medijs in flammis ſibi non conſulit. Qui amat periculum (inquit Sapiens) in eo peribit. Diuinæ opitulationi nemo confidat plus ſatis. Nemo ſuos conatus ſufficere arbitretur. Quiſq; opitulationi diuinæ conatus ſuos iungat. Fortaßis ne ſic quidem hoc euademus diſcrimen. Occulta ſunt Dei placita. Cæterum omnibus perſuaſum credo illum temerarios odiſſe pariter & ignauos.

 uos.

uos. Nam uterq; Deum tentat: quo ſcelere haud ſcio an ipſi quicquam ſit execrabilius. Itaq; conuenienti Politia & Medicina ſalutifera quamdiu poſſumus ab interitu nos ſtrenuè uindicemus: in primis Dei Opt. Max. ſuppliciter implorata ope, ut is diſtrictum ſuum gladium a nobis clementer auertere dignetur.

AMEN.

Quid

QVID PESTIS SIT.

PEſtis eſt febris putrida malignitatis venenoſæ atq; contagioſæ. Aliquando tamen non uidetur putrida, ſed tantum ſpiritalis eſſe febris.

Cauſa peſtis quæ.

Externa quidem cauſa peſtis creditur ſyderea quædam naturæ humanæ inimiciſſima qualitas: interna uero humor in corpore unus aut plures, qui dicta qualitate inficiuntur: tametſi quoq; ſolam auram qualitate illa infectam nonnunquã cauſam huius morbi eſſe appareat. Interdum quoq; diuinitus ad vindicandum peccata deſtinari eam negare haud poſſumus: id enim ſacræ teſtatur literæ ij. Regum xxiiij. & Hieremie xxix. Attamen hoc fieri absq; interuenientibus modò enumeratis cauſis non eſt probabile.

Quaſ-

Quaſdam eſſe peſtilentes affectiones præter peſtem.

Sunt & quædam præter peſtem affectiones peſtilentes aliæ: vt bubones, carbunculi, ecthymata ſeu exanthemata, mentagra, Hippocratis paraplegia, cauſos, ſudor Anglicus, atq; omnes ferè huius tempeſtatis febres tertianæ, de quibus omnibus alibi, modò nanq; ſolum agitur de peſte completa.

Indicia peſtis futuræ ac præſentis.

Futuram peſtem minantur ſtellæ crinitæ ac barbatæ, frequentes ſtellæ tranſcurrentes, aëreæ faces, trabesq; & capræ, globi ætherei & ardores, terræ motus, hyems tepida, pluuioſum ver, æſtus ingens, diuturnus auſter ſudus, aër nebuloſus, copia inſectorũ & animalculorũ quæ naſcuntur ex putredine, vltroneæ beſtiarum, maximè porcorum, ouiumq; mortes confer

tæ &

tæ,& ſolitudo nidulorum auium. Quæ poſteriora quatuor potiſsimum animaduertuntur graſſante iam peſte aut iamiã graſſatura.

Peſte in uno humore aut pluribus conſiſtente laborantis argumenta.

Notæ quidem præcipuæ correpti peſte in humore uno aut pluribus cõſiſtente ſunt excrementa omnia fœtida, vomitiones fœtidæ, alui purgamenta fœda, turbidum lotium, grauedo atq; dolor capitis, ſomnolentia, lipothymiæ, fœtidus anhelitus, lingua nigredine, rubedine ac albedine variegata, pulſus inſtabilis, triſtitia, vehemens calor plurimũ inteſtinus cum frigore partium exteriorum, præſertim quando primum morbus inuadit, anxietas, inquietudo, non nunquam abſceſſus, nonnunquam exanthemata.

Signa correpti peſte ſpiritali.

Spiritali uero peſte laborantis indicia

ſunt multa iam recitata: verum hic lotium turbidum ſemper nõ eſt, vigiliæ potius infeſtant, nõ adeo vehemens calor, abſceſſus & exanthemata rariora.

Qui omnium maximè peſti ſint expoſiti.

Peſti magis obnoxij ſunt pueri quam iuuenes, & iuuenes quam viri, & viri quam ſenes, temperamento humido præditi quã alio, proinde mulieres quàm viri, ſanguinei quàm cholerici, & cholerici quàm melancholici, cœlo vnico aſſueti quàm diuerſo, pauperes quam diuites, imbecilliores quàm robuſti.

Generales duæ præceptiones ad præſeruationem ſpectantes.

Ad præcautionem ſpectat in primis (quoniam ſuperius demonſtrauimus luem hanc interdum diuinitus ad vindicandum peccata deſtinari) ſedulam virtuti nauare operã: deinde

deinde cum Ezechia, opportuna remedia vſurpare.

Qua ratione humorum abundantia, & prauitate, exonerandum corpus.

Liberandum itaq; corpus ſi fuerit plethoricum vel cacochymicum materia putredini obnoxia, vnumquemq; humorem vitioſum aut retundantem purgante ſuo medicamento, & legitima ſanguinis miſſione, pro Medici ſuaſu.

Quæ potiſsimum in diſcrimine iſto cauere oporteat.

Vitanda ſunt etiam crapula, nec non ebrietas, plethoræ atque cacochymiæ ſeminaria: quemadmodum eſculenta & potulenta ſucci praui: à quibus omnibus quoque abſtinendum, niſi totius corporis nimium calorem atque ſiccitatem æſtiuo tempore grauiores ſubeuntes labores

curare uelint, tum namq; aliqua ex illis etiam Galeno concedente licebit uſurpare. Sunt quidem praui ſucci eſculenta Dioſcoridis, Galeni, Simeonis Sethi, Pſelli, & multorum aliorum Medicorum ſententia omnes ranceſcentes aut grauiter olẽtes tam piſces quam carnes, nec nõ porcinæ ac porcellinæ noſtrates, hircinæ, caprinæ, arietinæ, bouinæ, bubulæ, ceruinæ, leporinæ, anſerinæ præter alas, anatinæ, ac reliquæ volucrum aquatilium. His adduntur ventriculi, exceptis gallinarum & anſerum, inteſtina, pinguedo, ſanguis, piſces ex limoſis omnibus atq; ſtagnantibus aquis, cochleæ quæ adhærent vepribus ſiue reliquis frutetis, & fluuiatiles, ac quædã marinæ, ut purpuræ, pectines, patellæ, oſtreæ, buccina, ac quæcunq; teſta obteguntur. Præterea fungi, cicer, faba, piſum, lens, milium, perſica, pruna, mora, ficus, cucumeres, pepones, melopepones, cucurbitæ, radicula, fructus propemodum omnes ὡραῖοι, hoc eſt, qui die-

bus

bus viginti poſt & ante caniculam, quod tempus anni etiam ὥρα græcis dicitur, maturescunt. Inſuper oua in ſartagine frixa, vel aſſata in cinere. Praui uero ſucci potulenta ſunt muſtũ, ſpiſſa ceruiſia, & aqua putida.

Qualis cibus atq; potus conueniat, & quod boni ſucci alimentum.

Porro vtendum alimentis ſucci boni: cuiuſmodi ſunt, iudicio authorum ſupra memoratorum, carnes vitulinæ, & hœdinæ, omnes ferè aues minutiores, ac gallinæ, phaſiani, capones, perdices, oua elixa, piſces ſaxatiles ac marini, cochleæ marinę ac terreſtres, præter eas quæ vepribus frutetiſuè alijs adhæreſcunt, oriza, ordeum, caſtaneę, panis αὐτόπυρος ex optimo tritico, quẽ ſiligineũ appellamus, probè ſubactus, moderatè fermentatus, ſalitus & coctus, leuis & rarus, non recens nimium aut vetuſtus, vinum ætatis mediocris ex vuis benè maturis, medio inter dulcẽ & auſterũ ſapore.

Oportet autem hic non ſolum alimentorum habere delectum, ſed etiam peculiari quodam modo ipſa coquere atq; condire. Nam elixis præferuntur aſſa, & viſcellata fluidis ac generatim humidis ſicca. Condimentum fuerit præſtantiſsimum ſuccus Medici & granati mali, oxalidis, vuæ immaturæ, acetum roſaceum, cappares & oliuæ ex aceto, ſal. Ita fiet vt citra obſtructionem, ſolidum firmumq́; corpus reddatur.

Qua nam arte fortes ad obſiſtendum huic morbo ſeruentur uires.

Et quoniam peſtis tempore ad renitendum cauſæ morbiferæ, ac eandem expellendam, vires quidem conuenit eſſe quam robuſtiſsimas, fugienda erunt fames, Venus, balnea, laconica, nec non exercitatio nimia, & æſtus. In primis vero cordis robori conſulendum: proinde vitandi fœtores,

res, vtendum odoriferis, ac his quæ mali-
gnæ illi & contagioſæ aduerſantur qualita-
ti: vt ſunt, ambra, moſchus, caphura vera,
ſtyrax calamita, ladanum, roſa, viola, nym
pheæ flores, lilium, ſpicanardi, roſmarinus
ocymum, menta, ſaluia, trifol: odoratum,
dictam: tormentilla, ariſtolochiæ, betoni-
ca, carduus benedictus, arum, chamedrys,
cichorium, myrrhis, ſcabioſa, biſtorta, va-
lerianæ radix, verbaſcũ, verbena, abſinthi-
um, allium, cæpa, cardamomum, cinamo-
mum, nux myriſtica, macis, crocus, piper,
coriandrum, baccæ lauri & iuniperi, lauri
folia, caryophylli, calamus aromaticus, i-
ris, Zeduaria, inula, galanga, gẽtiana, caſia
lignea, ſantalum, agallochum, aurum, vni-
cornis cornu, & cornu ceruinum, adamas,
carbunculus, ſmaragdus, hyacinthus, topa
ſius, Saphyrus, corallium, margaritæ, ſuc-
cinũ, thus, bolus armenus: quorum ſingu-
la vel plura inter ſe medico artificio com-
miſta, & in puluiſculum aut maſſam aut e-

lecta,

lectarium aut orbiculos redacta ualent, tũ naribus admota, tum ore detenta, tum ſuffita, tum deuorata: ſicut ea quæ ſequuntur vel ſola, vel etiam delectu medico permiſta inuicem, deuorata ſolum, diambras, diamoſchu, aromaticũ roſatum, diamargariton, diarhodon Abbatis, et quod vulgus manũ Chriſti perlatam appellat, legitima confectio liberantis atque cordialis, electarium Ægyptium ſcala ſacra dictum, electarium achariſtum, quæ duo Nicolaus Myrepſus deſcribit, electarium verum de ouis, theriaca, oxalis, bugloſſa. Plurimum quoq; profuerit præſtans aliquod & odoriferum vinum cuiuſmodi exiſtit Creticum moderatè vſurpatum. Porro vanum eſt quod alexiterium ex caricis, iuglandibus, & ruta, facere aduerſus peſtem noñulli ſcribunt. Habent enim caricæ ac iuglandes nihil cõtra peſtem virtutis: ſed potius ab his eſt abſtinendum. Fatemur à Dioſcoride ac Galeno alexiterium illud tanquam aduer-

ſetur

ſetur venenis Mithridate authore prodi-
tum ac rutam uenenis quibuſdam aduerſa-
ri, ſed eſt longè alia peſtilentis veneni, & a-
liorum venenorum natura.

Cura eorum qui peſte affecti ſunt.

Laborans peſte curabitur tum peſtilen
te materia ſublata, purgante medicamēto,
ſanguine miſſo, prouocato ſudore: tum vi
ribus ægrotanti ſubminiſtratis.

Quibus medicamentis euacuetur materia peſtilens.

Materia quidem iſta ſuapte natura pur-
gatu facilis, leni pharmaco, niſi à ventricu-
lo procul abfuerit, mouetur. Itaq; cōducēt
ſerapium roſarum plurium infuſionū, man
na, oxyphœnices, caſsia nigra, ſena, myro-
balani beletici, empelitici & indi, electari-
um de prunis compoſitum non laxans, ele
ctariū leniens de manna, diacaſsias, pilulæ
maſtichinæ, pilulæ hieræ picræ, & quæ pe-

culiariter proſunt pilulæ Rufi vulgo dictæ, ac Rufi potio, quam refert Ægineta. Sin procul à ventriculo abſuerit materia, exhiberi poterit rhabarbarum, agaricum, diaphœnicum, catholicum, electarium quod vocant de ſebeſten atq; ſimilia. Ex vtriſq; illis pharmacorum generibus licebit etiam vnum atq; alterum quod potiſsimũ expedierit, compoſitionibus enematũ addere. Plurimi nuper ſeruati fuere Rufi appellatis pilulis reſolutis in aqua ſtillatitia ſcabioſæ, acetoſæ, roſarum, addito nonnihil theriacæ, atq; boli armeni. Nec quenquam hoc remedio vſum, obijſſe vnquam depræhendimus. Inuentum hoc Spiringio celeberrimo quondam apud Louanienſes Doctori Medico libenter referimus acceptũ.

De ſanguinis miſsione.

Miſsionem ſanguinis præter eam quæ cucurbitulis fit, quidam, ex quorum numero Fracaſtorius eſt, minimè admittunt.

Et

Et ſanè niſi ab initio mittatur ſanguis, non poterit non poſtea vbi proſtratæ fuerint vires, eſſe periculoſum. Attamen ferè Medici omnes alij fatentur ab ipſo morbi exordio conſtantibus adhuc viribus, ætateq; permittente ſi nuſquam tumor appareat, vel exanthemata, ſecandam eſſe venã malleoli, vel iecorariam, vel mediam, ac harum poſteriorum duarum alteram quoq; ſub axillis apparente tumore. Quod ſi tumor obſederit inguina, etiam malleoli uenam aperire decet: ſi poſt aures in fronte, vel iuxta tempora: ſi deniq; in gula, ſub lingua, vel vtrobiq; cephalicam. Quibus autem ob ætatem incidere venam minus fuerit tutum, his phlebotomiæ loco extrema corporis membra ſcarificentur, & ſcarificatis cucurbitulæ apponantur. Exanthematibus quoq; cutem occupantibus, ibidem ſcarificatione atq; applicatione cucurbitularum erit opus. Hæc eſt omnium ferè Medicorũ de mittendo ſanguine in pe-

ſte cenſura præter experientiam ſolidiſsima etiam firmata ratione.

Quomodo tumores debeant tractari.

Tumorum maxima habenda eſt ratio: conſultumq́; fuerit ipſis etiam immaturis poſt ſcarificationem cucurbitulas imponere, aut quippiam aliud facultate cauſtica vel aperiendi præditum, vt eſt calx viua, cantharides, fimus columbinus, arum, batrachium, chelidoniam, radix lilij, cæpa, raphanus, aqua fortis, argentum viuum ſublimatum, ærugo, fermentum, ſapo, &c. Obſeruandum eſt interim nihil iſtorum frigidum imponendum eſſe. Apertus quidem tumor maturetur ibiſco, malua, ſeminum fœni græci, & lini farina, axungia, diachyl. emplaſtro de meliloto, ac eius generis alijs: maturus autem & purulentus, mundetur apij paluſtris ſucco, melle, lixiuio, hordei farina &c: mundatus vero ſanetur vnguento fuſco, apoſtolico, citri-

no,

no , emplaſtro tripharmaco , & ſimilibus.

Ad excitandum ſudorem, atq; poſt ipſum quid facto ſit opus.

Sudor commodiſsimè prouocabitur non ſolum poſt exhibitam theriacam collocando laborantem apud luculentum focum, aut in calido loco, aut multis ipſi ſuper impoſitis ſtragulis, verum etiam ſi propinetur ei anagallidis ſtillatitiæ aquæ calidus hauſtus. Licebit quoq; in aqua fontana, vel in vino eam herbam coquere, ac dicto modo colaturam propinare. Decoquitur etiam chelidonij maioris radicis manipulus in libra roſacei aceti, & calidæ huius decoctionis hauſtus accipitur. Valet quoq; pulueris radicis ſerpentariæ drachma ſumpta in potu. Non inutiliter ſuccus foliorum aut radicis ari drachmæ unius pondere cum pauco aceto roſaceo calidus ad idem datur. Calidus quoque calthæ

ſuccus pondere vnciarum plus minus trium huc facit non parum. A ſudore madida linteamina ſiccis mutentur, vnà cum lecto & cubiculo: atq; id erit perflabile. Frigus tamen vitabitur.

Aegrotans ut ſeruetur robuſtus.

Vires ęgrotanti ſubminiſtrabuntur partim alimentis capite vndecimo recenſitis, partim his quæ robori cordis tertiodecimo capite diximus conferre. Rhazes commendat ptiſanam & ſerum & aquam. Vtiliſsimum fuerit, aquæ ſyrupum acetoſitatis citri vel roſarum, aut violarum admiſcere. Creticum vinum aqua roſacea temperatum, magnopere in hunc vſum commendatur.

Quid conualeſcenti, ne recidat, obſeruandum ſit.

Ne autem recidat ægrotans iam conualeſcens, præter reliquam ſuperius expo-

ſitam

ſitam prȩſeruandi ab hoc morbo rationem obſeruandam, ſedulo euentilanda erit domus, ac quæ in ea ſunt omnia, præſertim linum, lana, ſericum ac uniuerſa ex his parata, quæ infectum peſte aërem diutiſsime retinent, vnde quis inficeretur promptiſſimè.

CONCLVSIO.

EXpoſui meam de peſtilentia, & quonam modo præcauere ſibi ab ipſa & affectus eadem curari aliquis valeat, ſententiam vt ſuccinctam ita quoq; planam: niſi quod medicamentorum permiſtio, menſura, pondus, vtendi frequentia, nec non raritas, propter ſexuum, ætatum, virium, temperamentorum, locorum atq; tempo rum diuerſitates, ad amuſsim præſcribi nequeant. Id nanq; totum iudicio Medici cuiuſpi-

ruſpiam periti relinquendum eſt. Demandata mihi pro viribus præſtiti. Obſequium meum benigne conſulatur. Poſtremo velim hic quoq; admonitos omnes, vt poſt inuocatum Diuinum ſubſidium, diro huic tempori accommodatas ordinationes Politicas, Medicaſq; ſuaſiones, nunquam deſerant, etiamſi fortaſsis occumbere formidabili hac ægritudine videant earũ aliquot diligentes obſeruatores vel me vel Medicum quemcunq; alium: ſed meminerint illorum quæ demonſtrata ſunt in præfatione. Nullus ſeipſum negligentia perdat. Quiſq; in mundi huius militia, ſtationem ſuam animo tueatur infracto, donec euocarit ipſum ſummus ille Dux & Imperator Deus.